

# FUNACZA PESTYERE

S E U

## ANTRI FUNACZA DICTI

### HISTORICO-PHYSICA RELATIO

C O N C I N N A T A

AB ALEXIO NEDECZKY

DE EADEM

QUI IPSUS ANTRUM HOCCE LUSTRAVIT

*Anno M. DCC. LXXII. Die XIX. Octobris.*



---

---

V I N D O B O N Æ,

TYPIS JOAN. THOMÆ NOB. DE TRATTNERN,

CÆS. REG. AULÆ TYPOGR. ET BIBLIOP.

---

MDCCLXXIV.

# FUNACZA PESTYERE

S E U

## ANTRI FUNACZA DICTI

### HISTORICO-PHYSICA RELATIO

C O N C I N N A T A

AB ALEXIO NEDECZKY

DE EADEM

QUI IPSUS ANTRUM HOCCE LUSTRAVIT

*Anno M. DCC. LXXII. Die XIX. Octobris*



---

---

V I N D O B O N Æ,


TYPIS JOAN. THOMÆ NOB. DE TRATTNERN,

CÆS. REG. AULÆ TYPOGR. ET BIBLIOP.

---

MDCCLXXIV.





S. I.

Singularium naturæ operum, quæ si non mireris, at certe jure merito laudes, cum feraces sint Regiones aliæ, tum profecto Hungariam nostram eorum feracissimam esse, & exteri credebant semper, & nos, si modo ad id advertere cui sit animus, experimur. Quid enim aliud viros Clarissimos Brünnichium, Ferberum, & Schumannum ex oris septentrionalibus paucis abhinc annis in Hungariam pellexit? nisi mirabilium, quæ in Patria nostra magno numero reperiri intellexerant, lustrandorum avida curiositas: Quid complures eruditos Anglos ad tanta terrarum spatia emetienda induxit? nisi lapidum nostrorum & varietas & pretium: ut adeo justam rubori causam Exterorum hæ procurfiones, laudabileque res nostras noscendi, ac velut e tenebris



eruen- di studium nobis suppeditent, dum illi majorem quandam hoc in genere, quam nos ipsi sollicitudinem præferunt. Certe quam avide id a nobis præstolentur Eruditi, vel inde clare pernoscas, quod vix antra duo Cl. Belius, Ribariense nimirum in Zolien- si, ac Sceliczen- se in Tornensi Comitatu sita, breviter adumbraverit, jam laborem ejus tam in Transactionibus Philosophicis Londonensibus, quam in Hamburgensi rerum eruditarum collectione, vulgo Hamburger- Magazin, insertum videamus. Ut igitur & eorum doctæ curiositati, & vinculo, quo Patriæ meæ obstrictum me profiteor, satisfacere incipiam, reliquorumque popularium meorum, qui & meliora, & melius dare possunt, animum audacia mea excitem, proferam in medium antrum, cujus ne nominis quidem notitiam major pars regni nostri usque adhuc habuit.

## §. II.

Antrorum duplex genus est; aliud quod natura, quod humana industria fecit, aliud. Horum ingentem in Hungaria reperias multitudinem, tam ubi benignæ, fecundæque naturæ beneficio sal fossilis, coctilisque educitur; quam ubi multiplici diviteque vena Effodiuntur opes irritamenta malorum. *Ovid. Metam.*



Cavernarum harum vastissimam capacitatem tot seculorum ininterruptæ fossiones satis superque ponunt ob oculos. Quæ vero solius naturæ beneficio debemus, antra complura eadem in Hungaria reperiri certum est. Præter enim Ribariense, ac Sceliczense, quorum superius facta est mentio, reperitur insigne antrum in comitatu Liptoviensi Deminfalvense dictum, quod XXIII currentis seculi anno Georgius Bucholtzius non lustravit solum, sed & delineavit, extatque iconismus non inelegans antri hujus in Prodromo Bely. Longe isto visu dignius, quantum ex eorum, qui in eodem fuerant, narrationibus intellexi, est antrum Aktelekiense in Comitatu Gómoriensi; aliud præterea in Thurocziensi, Mazararum dictum, complura in Scepusiensi: quæ qui studiose lustrarunt, si ea, quæ in iis relatione digna repererunt, cum orbe rerum harum avido communia fecissent, non esset, quod eorum notitiam etiamnum desideraremus. Verum his sive alii temporis (nam illa quoque curiosius exactiusque, data opportunitate inspiciemus) sive aliorum calamo relictis, nos ad antrum nostrum progrediamur.

### §. III.

Primam antri hujus notitiam debeo Viro Nobili Domino Sztacho, qui cum Magno-Varadino Cassoviam, ubi tunc temporis agebam,



certo in negotio procurrisset, meumque animum in investigandas res naturales Hungariæ, maxime Carpathicas, proclivem intellexisset, autor mihi erat quam maxime, ut antrum hocce, quod & ipse jam lustraverat, dignissimumque visu prædicabat, visere, scrutarique non negligerem. Mihi res tales alioqui anhelanti, jamque in Carpathos, qua in Zemliniensem diffunduntur Provinciam, iter apparanti, non magnis opus erat stimulis; sufficiebat mirandum aliquod indicari, ut ad visendum illud quam primum advolarem. Lustratis igitur montanis Zemliniensibus, collectaque in iisdem, maxime ad aquilegium, vulgus oculum maris appellat, aliqua pro futuris, si Deo placuerit, Dissertationibus suppellectile, in Bihariensem properavi Provinciam, ut laudati antri inspectione meum oblectarem animum, eorumque, qui talia jam dudum sapienter appetunt, expectationem si non implerem, mulcerem saltem.

#### §. IV.

Eo itaque delatus, primis in curis habui, ut antrum quantocius inviserem. Favit votis Germanus meus lustra duo in Inclyta Siskoviciana legione emeritus, nunc vero Comitatus Bihariensis Judicialis, ut dicimus, *Assessor*; qui me non in pensis solum, sed & societate dignatus est. Qua parte Bihariensis Pro-



Provincia Transylvaniae, Albensique ejus Comitatus cohæret, id quod Magno-Varadino denis circiter milliaribus remotum est, in præaltos assurgit montes; hos infra situs est Pagus *Funacza* dictus: nomen ei non a *Funy*, quod metuendam rem Valachis, funem nempe, sed a *Fun*, quod fœnum eorum lingua denotat, impositum est propterea, quod olim *Rész-Banyensium* (oppidum id a fodinis in plaga illa notissimum est) locus fuerit fœnilegio destinatus. Pertinet Pagus hic ad Dominium *Belényes*, quod subest Juribus Excellentissimi Præfulis Magno-Varadinensis, quam sedem singulari virtutum, ac scientiarum splendore illustrat nunc **Adamus L. B. Patatich de Zajezda.**

### §. V.

Pago huic ortum inter ac meridiem adjacet mons ille, cujus ventrem, ut ita dicam, antrum nostrum, Valachis *Funacza Pestyere* dictum, constituit. A pede montis ad ipsum usque antri ostium equo vectus solidum, & amplius implevi quadrantem. Altitudinem perpendiculararem si quinquaginta circiter dicerem orgyarum, non multum a vero aberrarem. Ostium ipsum, sive aditus ad antrum paululum a communi, qua in ultiores sylvas itur, via ad latus meridionale recedit, patetque in latum duas fere orgyas, in altum



non multum supra unam. Præ ostio ingens visitur saxum, vix ad aliquot remotum passus; quod ipsum indicio mihi est, saxum illud ostii cavitatem olim explevisse, lapsu dein temporis solutum a compage, aditum patefecisse. Inducor ad id sentiendum duplici ex ratione; tum quod mons ille externe minime saxis horreat, quin potius amæno gramine, ac copiosis virescat arboribus; tum quod præ foribus antri, ut jam dixi, saxum illud hæreat, nec aliunde, quam ab ostio illo avulsum videri possit.

#### §. VI.

Ingressus sum primum hoc antrum, quod ob lucem per ostium incidentem etiam sine facum lumine anteriore sui parte sat lucidum est, protenditurque in longum viginti circiter orgyas, in latum vero octo, vel novem; altitudo aliquibus locis duas, qua vero antro alteri conjungitur, fenas etiam habet orgyas. Hic Lectorem monitum velim, me nullam certam mensuram determinare posse propterea primum, quod omni ad accipiendam distantiam Geometrico instrumento destitutus fuerim; deinde quod animus ad ulteriora, & ulteriora pervestiganda intentus, primaque hac antrorum lustratione præ solatio velut sibi ipsi ereptus, mensuræ cum reflexione non meminerit. Unde omnis hæc & quam dixi,  
&



& quam decursu relationis dicturus sum, amplitudo, circiter, ut semper addo, accipienda est, leniterque indulgendum novitio naturæ investigatori. Quoniam autem protendi hæc antra in Transylvaniam usque ad Torda-Hassadék (quam id vero similiter, in Reflexione II. videbimus) dicebantur, tempusque, quo eo appuli, ne duabus quidem ab occasu solis distabat horis, idcirco in primo hoc antro reliqui unum e Valachis, qui ignem ibidem excitatum foveret indefinenter, ut reduci mihi, signum isthoc in tenebris certissimum, viam aberrandi præcluderet.

#### §. VII.

Mox quaternas, quibus instructus veni, faces accendi, Valachosque, quos ad id obsequii e Pago Funacza assumseram, præcedere jubeo, antrumque alterum, Deo, Tutelarique Genio inemet commendans, ingredior. Antrum hocce & tenebris, & altitudine vastitateque priore multum horribilius, jucundum oculis meis præbebat spectaculum, dum humili, ut ita dicam e casa, hoc est, e depresso priore antro in Palatium, seu amplius antrum istud transivi. Primum quod memet attentum, attonitumque detinuit, erat ingens, quam pede calcabam, ossium qua humanorum, qua pecorinorum copia, quæ tanta fuit, ut vix pedem figere potuerim in spatio



ab offibus vacuo. Horum aliqua dum levo, fixiusque nonnihil intueor, vidi lapideo cortice qua ex parte, qua pene ex integro obducta. Judicabam operæ pretium unum alterumve. mecum accipere, quemadmodum etiamnum me penes habeo. Alterum, quod mihi vehementer placuit, splendentibus erant antri parietes, quos dum face propius admota illuminavi, non aliter, quam sole in bene gelatam nivem radios suos defigente, relucebant.

### §. VIII.

Ex secundo hoc antro in tertium, quod sese nobis aperiebat, dum transire paro, video primo intuitu aditum mihi præclusum. Stabant vacerrarum instar, vulgo *Paleffatas* dicimus, longo ordine lapideæ columnæ longitudinem orgyæ qua æquantes, qua excedentes, soliditate vero duobus plus minus pedibus æquales, tam dense se invicem excipientes, ut transitum omnino negaverint. Hæc inter observat unus quispiam columnam e vacerris illis unam plus duabus sui partibus truncatam, ac transitui illac solum patere viam. Transgredior, & ecce! Theatrum, quo pulchrius, magisque visu dignum, utpote ludentis naturæ opus, ad illam usque horam vidi nunquam, num vero simile quid porro visurus sim, omnino addubito. Objiciebatur



oculis moles lapidea ingens quinque circiter orgyas alta, colossi cujuspiam speciem referens, crassities altitudini congruebat. Hanc pone prominebat e latere antri in altitudine paulo minore moles alia quasi Cathedram oratoriam exprimens, in eaque rude ac informe aliquid oratori, pulpitum occupanti, simile; variæ ad latera alia prominentiæ, ac præcipue supra cancellos ipsos, seu vacerras quasi pergula, seu chorus musicis destinatus; quæ omnia ita facelli cujuspiam referebant imaginem, ut accedente ad lusum hunc naturæ sculptoris perita manu, & colossus, & cathedra, & ara, & chorus musicus reipsa evaderet.

### §. IX.

Tertio huic anthro immoratus sum nonnihil diutius, veniebantque in mentem primis Ecclesiæ Seculis usitatae apud Christianos Cryptæ ac Catacumbæ, in quibus persecutione sæviente Mysteria divina peragebant. Sed enim quia constitueram progredi, quoad usque via pateret, avellor a charo adeo spectaculo, & pertentato hinc inde qua nempe fissuræ aliquæ se offerebant, exitu, reperi denique, per quam in ulteriora penetrarem, fissuram amplitudinis tam exiguæ, ut vix duos simul incedentes caperet. Per angustam hanc portam deveni in antrum reliquis hucusque visis longe amplius. Hic enimvero ob vastam



stam amplitudinem Noctem ipsam habitare diceres. Quaternarum facum Lux omnino non sufficebat, ut supremitatem videre possem. Caverna erat aream ejusdem spectando ad sensum rotunda satis, nisi qua parte, ut statim dicturus sum, uno ex latere in angulum assurgebat; parietes quia non erant plani, sed concavi, ea propter in cupulam eos convergentes judicavi; & quoniam oculo altitudinem ob tenebras pertingere non potui, sublatum de terra segmentum Lapidis vi non parva adhibita jeci in altum, auditurus num supremitatem contigerim; sed enim sine ullo strepitu edito Lapis recidit; eapropter altitudinem antri hujus ne quidem circiter determinare possum.

### §. X.

Interea dum exitum ex hoc antro ad ulteriora, si quæ adhuc essent, qua perquiro ipse, qua Valachos meos perquirere jubeo, fissurasque omnes, quarum copiosas hic reperi, Valachi pertentant, & iteratis vicibus ex iisdem: *nu poty mere* id est, non possum ire, meare, reponunt, parabam jam reverti; sed enim incido oculis in angulum vix tres Orgyas altum, in cujus supremitate observo aperturam; quam ubi indicassem, eluctatur per congeriem sat magnorum lapidum Valachorum unus, & posteaquam patere aditum  
ad



ad ulteriora videt, gratulabundus, quod rursus aliquid pascendo animo, oculisque reperisset, *vine* seu veni, inclamat, porrectaque manu ascensum faciliorem facit. Superato ascensu, ubi in Cavernam, cui illuminandæ fax una sufficiebat, intrassem, cubili potius, quam cavernæ similem reperi, nisi quod ubique erectus incedere non potuerim, maxime qua ad latera vergebat. Amplitudo ejus vix quatuor in longum, tresve in latum æquabat Orgyas. Illud lepidum: expressa vidi nobilis calcei fæminei in humido hujus antruli plano vestigia, quæ protendebantur usque ad ipsum cavernæ parietem ita, ut ne integro quidem pede vestigium ultimum a pariete distiterit. Risum, admirationemque vel ipsi inculto Valacho vestigia ista moverunt.

## §. XI.

Atque hic erat terminus, NON PLUS ULTRA, lustrationis in se quidem satis longæ, si meam tamen consulam similia videndi aviditatem, nimium brevis. Revertenti mihi ad maximum illud, e quo in parvulum hocce prorepseram, antrum, nonnisi faciger unus latus stipabat, ternis aliis per angustum illud ostium jam reversis. Et quoniam in ignotis adeo, cæcisque Palatiis ignota erant omnia, duas, ternasve fissuras, exitum quærentes  
per-



percontavimus, sed frustra; nam eæ erant cæcæ illæ aperturæ, per quas progredi in Transylvaniam non licebat: jamque clamore parabam reliquos commonefacere, ut viam, qua exiremus, reditu suo commonstrarent; cum feliciter ad illud ipsum angustum ostium devenimus, catacumbæque redditos nos vidimus. Sed jam ea, quæ reditui erant propria, recenseamus.

## §. XII.

Quemadmodum in ingressu, aut verius progressu id curabam maxime, ut quam longissime procederem; imo totum, qua patet, antrum percurrerem; ita in regressu ad ea, quantum brevitatis temporis admittebat, advertebam oculos animumque, quæ rara in ipsis antris occurrebant. Illud generatim notandum, omnes has tam vastas concamerationes, durissimo constare e lapide, qui tamen non ubique æqualis est, quemadmodum uberius in Reflexionibus videbimus. In catacumba igitur (liceat ei hoc nomen ob similitudinem imponere) in qua ob minorem, ingenti illa priore, altitudinem faces quaternæ satis commode objecta oculis subjiciebant, clare videre erat, quemadmodum humor petrificus variis in locis qua concreverit jam, qua actu concreverat. In hujusce rei testi-



monium tam e solidiore, quam e minus solido lapide, mecum abstuli.

### §. XIII.

Illud nimium quantum oculis arridebat, quod aliquot in locis hac ipsa in caverna (nam hæc est rerum e petrifico liquore concretarum feracissima) deprehendi, prorumpentem nimirum, aut verius effusam e lateribus cavernæ materiam candore nivi æqualem. Hanc dum attrecto, observo, superne nonnihil humidam, reipia autem inferne jam in lapidem concretam; rursus alio in loco siccam adeo, ut humoris omnino nihil habuerit. Ex sicca hac frustum aliquod avulsi, quod cum in minores partes, quales nempe e saccharo pro usu potus Turcici facere solemus, concidissem, frustisque candidissimi sacchari immiscuissem, nemo unus, oculo judice, a vero dignovit saccharo. Dependentes item e fornice antri stirias qua majores, qua vero minores, tenerioresque, quales hyberno tempore stillicidiis, tectisque adhærere videmus, decussi; & majores quidem solidum jam in lapidem concreverant; minores vero, dum volæ imposui, glaciei adinstar, cum tamen certum sit glaciem eas non fuisse, calore manus dissolutæ fluxere. Illud præterea minoribus proprium erat, quod interne per totum, velut tubus Baro-

me-



metri, vacuitatem habuerint, nisi quod extremitas, in quam desinebant, jam coaluerit, qua cavitate majores stiriæ carebant. Longitudo minorum tres circiter æquabat superabatve digitos, crassities anserinam pennam non multum excedebat; majorum longitudo etiam pedem æquabat. Dependebant præterea altiore e fornice antri maximæ aliæ, quæ mediam etiam æquaverint orgyam, sed quas nullo modo decutere potui.

#### §. XIV.

Has ipsas minores stirias reperi in extremitatibus suis guttas habentes, quæ vitri adinstar, ut nempe fontana munda, pellucebant. Guttas illas primum odore, gustu deinde exploravi; & nullam seu insuavem, seu salsam, sive amaram aut adstringentem sensationem habui. Neque tamen humor omnis in solas abibat stirias; decidebant hinc inde e fornice in planum guttæ, ibique qua indurescebant, qua vero a terra absorbebantur, ac humidum planum, qua incedebamus, faciebant. Porro in egressu ex antro hoc Columnæ illius, seu *Palestæ*, cujus §. VIII. memini, segmentum studiosius observavi, vidi que omnem illam molem columnarum stantium a stiriis illis majoribus vix aliquantum diffidere, nisi quod candidior splendidiorque fuerit, non tamen ejus candoris, quem Pa-



Paragrapho superiore retuleram, sed quem ad Nitrum percolatum quam proxime accedere ex vero dicere pollis.

§. XV.

Penultimo dum essem in antro, illudque quaqua versum lustrarem diligentius, reperi nonnullas vix mediam adæquantes orgyam Columnas, Conos melius dixeris, crassitie jam majore, jam minore. Unius talis Coni verticem impactis aliquot ascia ictibus decussi, (appendebat frustum isthoc pondo duodecim, quina in ustionem & experimenta absumsi, residuum frustum septem adhuc librarum præ manibus habeo) experturus, num homogeneam cum Vacerris illis materiam habeat; & deprehendi ovum ovo non esse similius. Hoc tamen in decusso hoc cono non tacentum, eum interne duplici e materia constare: prima quidem splendidante, ut nempe Vacerræ illæ Nitro, aut Vitro Mariæ persimili; altera minus candida splendidanteque, a qua per nigram, utramque inter materiam positam quasi fasciam discriminatur; id quod cum solatio, qui ad me accedunt, aspicere solent. Habet & antrum hocce lapidem illum saccharo consimilem, at nonnisi, ut alias dixi, lateribus adhærentem.



## §. XVI.

Ultimum, quod in antro hoc me detinuit, erat lapis orgyam fere longus, & dimidiam latus, duobus circiter pedibus a terra, seu plano prominens. In hujus superficie mirandum, jucundumque erat illud, quod Placentam illam, quæ Nobiles ornare solet mensas (Tortam vulgus dicit) Natura tam affabre eleganterque efformaverit, ut dubitem, an periti sculptoris manus melius quid, perfectiusque produceret. Erat massa tota rotunditatis quantum ad sensum omnino exactæ, diametrum habens quindecim sedecimve pollicum, altitudinem vero, sive eminentiam duorum circiter; signata superne ad elegantiam, simmetriamque flexibus illis, quos e super infusis coloris varii Syrupis, calore dein ignis turgentibus Cocquorum ars producere solet. Certe si ad manum mihi fuissent cædendo lapidi apta instrumenta, non neglexissem lusum hunc Naturæ e tenebris illis in lucem producere.

## §. XVII.

Aliud præterea lapideæ huic Placentæ adjacebat. Cavitas erat semicirculi speciem referens latior, quam profundior; Lapillo- rum isthic qua nucis vulgaris, qua avellanæ, qua pisi, fabæque magnitudinem æquans in-  
gens



gens sane copia; hanc dum perlustro, ac sus-  
deque verto, aliquos tam glabros, læves-  
que sensi, ut eorum, ut ita dicam, amabili-  
tate captus centenis plures mecum abstulerim,  
majore multo ibidem relicta copia. Sed jam  
de antris tandem egrediamur. Id dum facio,  
tendoque in antrum ultimum, scalam obser-  
vo, quæ prius meos effugerat oculos, tres cir-  
citer orgyas longam, ad demissiores antri  
hujus partem applicitam; admoveo faces, &  
manifesta video fossionum indicia, quibus  
fornix variis in locis infrangebatur. Hæc ip-  
sa res aliarum quoque fossarum, duos etiam,  
tresve pedes altarum, me admonuit, quas  
passim per intermedia hæc antra offenderam.  
Sunt hi conatus, nullus dubito, hominum  
quorumpiam, cum Ursis, Simiis, Muscipu-  
lis, vel Corbiculo aliquot vitrearum mercium,  
quas tamen omnes levi pretio exolveres,  
pleno, passim Hungariam copioso numero per-  
vagantium, resque, quas Natura pretiosas,  
in montibus nostris effingit, secum in exteras  
oras efferentium; quas illi posteaquam vel po-  
liunt ipsi, vel aliis poliendas committunt,  
aut vi ignis eliquant, lucrum ingens, præ-  
mium nempe pererratæ per dimidiam anni  
partem Hungariæ, recipiunt.



## §. XVIII.

Posteaquam igitur de singularum Cavernarum lateribus, ut diversitatem nimirum adverterem, uti & de Columnarum, Stiriarumque fragmentis, complura frustra Valachis meis gestanda, deferendaque tradidi, opima velut onustus præda, circiter mediam octavam vespertinam feliciter pedem ex antris etuli, quaternis fere horis in iisdem commoratus. Atque hæc animo, ac calamo Historico; faciam nunc Physicas aliquas Reflexiones, non eo quidem proposito, ut singula ab ovo, ut dicimus, deducam, Lectorumque naturæ agendi modum quoad plurima non infeliciter assessorum patientiam exerceam; verum ne nihil omnino, id quod Physicum dedecet, non dicam; utque vera, quantulacunque fuerint, ansam majora excogitandi, investigandique præbeant. Quod si qui reperti fuerint, qui conatus meos sive approbent, sive inpetant; id enimvero percharum mihi accidet, modo res Patriæ nostræ Naturales tandem aliquando in lucem protrahi occipiant.

## REFLEXIO I.

Ante omnia nosse quis peroptabit, quænam Antri hujus, vel potius Antrorum sit causa? Repono ego, videri mihi Antra hæc nul-



nulla humana manu fabricata, sed solius naturæ artificio producta esse; neque enim vestigium ullum est, quod pro contraria parte faciat. Fodinas Metallī nunquam fuisse vel inde conjicias, quod antrorum horum planā omnia horizontalia sint ad sensum, nec ullus in inferiora pateat aditus; cum tamen Metalla nonnisi in visceribus terræ quæri oportere omnibus notum sit. Quod si dicas: desuper ad inferiora hæc patuisse aditum, indeque itum fuisse in viscera terræ: id quoque sustineri non potest; cum nihil omnino vel minimæ lucis in antra hæc penetret, demta luce illa, quam §. VI. memoravi. Adhæc nullus ex omnibus, quos vel ibi vidi, vel inde mecum etuli, Lapidibus mineræ quidpiam in se continet. Nulla denique erutorum lapidum ante antra viuntur aggesta, quæ tamen in neglectis, etiam a compluribus seculis, fodinis ubique reperies. Putarem ego Naturam in formandis his antris terræ se, aut verius terram sibi accommodasse. Humor enim, qui per fornices, parietesque harum Cavernarum modo profluit, non vane supponi potest, confluisse, profluxisseque etiam multo antea; atque sic sensim, ac velut pedetentim terreas partes a solidioribus separasse, sicque ruentibus, ac subsidentibus utrisque majus ac majus spatium, cavitatemque fecisse. Id quod non incongrue suadet antrulum illud §. X. relatam, cujus aliam causam vix assigna-



veris, quam humore copiosiore eluta, ac quasi suffossa saxa, pondere suo prolapsa esse, sicque Cavitatem seu Cavernam enatam. Quod si modus iste, naturæ operationibus alias nimium conformis, minus arrideat, nihil moror, concretaam terræ hanc crede Cavernam, & non facile reperies, qui te de sententia dimoveat.

## REFLEXIO II.

Porro illud ut credam, protendi antra hæc usque ad Torda-Hassadék, induci omnino non possum. Nam ut nihil dicam de ingenti distantia, quæ a limitibus hisce concurrentis cum Transylvania Hungariæ, usque ad Torda-Hassadék intercedit, illud plus ponderis apud me habet, quod viam ad ulteriora ducentem nullam omnino in postremo antro, licet omni conatu adhibito, repererim; adeoque sim testis, ut dici amat, de visu, alii vero solum de auditu: aut si quis est, qui viam illam emensus est, prodeat in publicum, & victas dabo manus. Quod si aliquis objiciat, Valachos, pigrum alioqui genus hominum, qua laboris tædio, qua periculi metu perterritus suum illud: *mi poty mære* non possum meare, ingeminasse, ne huic quidem multum reluctabor; ast alia ex ratione non difficulter conficiam, antra isthæc nullum ex parte alia habere exitum. Id enim si esset,

aër



aër necessario, & copiosior quidem permearet, utpote cum fissuræ tantæ supponerentur, ut homo transire possit; jam vero aëre sic per tubos qua angustos, qua vastos, volo dicere: per antra hæc qua ampla, qua vero contracta communicante, putasne in via hujus tam longæ communicationis existens, seu in antorum horum quopiam, per quod aër ex Hungaria in Transylvaniam, ac vicissim ex Transylvania in Hungariam permearet, nullam sentires aëris commigrantis, aut saltem moti, undantisque mutationem? id enimvero creditu difficile esse nemo negaverit. Et tamen in nullo ex omnibus his antris vel minimum ventulum, seu motum aëris observare erat, qui vel flammam facis exagitaret, taceo, ut vehementiam ejus tactu expertus fuisset; idque sive sole supra nostrum horizontem existente, sive eodem jam absente, quo tamen tempore ventulus aliquis etiam in magna planitiæ communiter sentiri solet. Malacia igitur aëris, quam omnino summam in his antris reperi, tantum apud me pondus habet, ut asseveranter dicere auserim, antra isthæc non solum non cum tam remotis montibus, quales sunt illi ad Torda - Hassadék, sed ne cum adversa quidem montis parte ullam habere aëris vastiore, ut ita dicam, canale commeantis communicationem.



## REFLEXIO III.

Ossium jam ingentem illam multitudinem, cujus §. VII. facta est mentio, consideremus. Possent quidem alicui in mentem venire, Cavernam hanc incrementibus aquis communis Diluvii tempore, copiosis hominibus salutem in montibus anhele quærentibus, repletam fuisse; verum *aqua quindecim cubitis altiore super montes, quos operuerat.* Gen. 7. v. 20. omnes hos in eadem Caverna præfocatos, ossa sua etiamnum ostentare Posteris, velut certissima Divinæ Justitiæ monumenta. Lubens huic subscriberem sententiæ, si tamen quis ita genus humanum intra annos mille sexcentos: totidem nempe a condito mundo ad Diluvium usque fluxere anni: multiplicatum ostenderit, ut suos jam tunc terra omnis, quemadmodum nunc, adeoque & Plaga illa, quæ ad Funazam est, habuerit incolas. Id nisi præstiterit, non iniquo ferat animo, in contrariam me abire sententiam. Quid si rem potius sic evenisse dicamus. Posteaquam jam mortale genus satis, superque propagatum fuisset, & omnes terræ partes, quæ habitationi aptæ sunt, replevisset, lapsuque temporis Regnum Nostrum Hungariæ qua aëris temperie saluberrima, qua vero terræ rerum omnium non ad usum solum & necessitatem, sed ad delicias usque, ac magnificentiam fertilitate, vicinarum Gentium, Tartarorum potissimum, ac  
Tur-



Turcarum oculos, magisque animum, alieni semper cupidissimum perstrinxisset; tum enimvero Harpyæ hæ captata opportunitate sæpe sæpius in Hungariam procurrere, incolis vitam, ac bona, quæ moveri possint, eripere, rapinisque onusti in sua reverti in more habebant. Metus tam gravis cogebat miseros tentare omnia, quibus vitam, facultatesque suas tutarentur. Hac igitur Barbarorum peste in Hungariam sese infundente, metuque, ac terrore omnia complente, occulebant se in sylvis montibusque, vitamque trahebant magis, quam ducebant. Montes hosce dum pererrant, ad hoc ipsum devenerint antrum, quod explorantes, opportunumque pro delitendo videntes, catervatim se una cum vitæ sustentandæ necessariis recondiderint. Isthic seu conclusi aëris, cui non insueverant, insalubritate, seu longiore commoratione, sive denique famis, frigorisve acerbitate confecti vitæ ac miseriarum finem inveniebant. Id quod Turca Varadini dominante, ac procurfiones in vicina faciente, ab accolis factitatum esse, plane mihi persuadeo; sicque tam hominibus, quam pecoribus vitam ibi ponentibus ea ossium accrevit copia, quam cum stupore aspiceres, cuique efferendæ copiosi currus vix sufficerent.



## REFLEXIO IV.

Columnarum autem, aliorumque e succo petrifico concretorum corporum genesis, non est, quod recenseamus, cum notum sit, aquas, ejuscemodi materiis imprægnatas, depositis, aggestisque solidis, quas secum vehebant, particulis, evaporare, speciemque lapidum, quem stalactitem dicimus, inde enasci. Hujus ipsius lapidis magnum in antris nostris observa diversitatem. Prima, maximeque oculos oblectans, est illa species quæ candidissimum saccharum æmulatur. Superficies hujus fere tam est friabilis, quum ipsum saccharum, nisi quod aliqua sui parte nimium rarescat; quod vero residuum hujus est lapidis, seu quo magis a superficie distat, eo magis soliditate, splendicationeque se commendat. Materiam hancce non nisi e lateribus protrusam, eisque adhærentem reperias, videturque mihi non guttatim, sed ex copiosius prorumpente humore coagmentari. Certe uno in loco tanta ejus erat copia, ut colliculum ex ea prognatum orgyam superantem conscenderim, sicque humentem adhuc altiore in loco, unde delabebatur, tactu, quin & gustu exploraverim, nulliusque saporis, ut aliam nimirum e stiriis pendentem, prehenderim. Species altera lapidum est, qui ex guttis de fornice deciduis confiunt; & ad hanc speciem vacerræ illæ, passimque alibi sparsæ columnæ referuntur.



tur. Lapis hic soliditate valet, nitrique splendicationem, ut supra jam dixi, præferret. Hujus speciei est vertex ille conii, quem §. XV. memoravi, quique fasciam nigram interne ostentat. At enim duplicis illius materiæ per nigram fasciam discriminatæ causam petis? dabo, conus ille homogeneis ex guttis coaluit usque eo, quoad candida magis, splendicanteque constat materia; unde autem fascia illa nigricans, albiorem micantioremque partem internam a minus alba micanteque externa segregans? existimo ego interiorem illum conum depluis ex guttis jam concretum, longiore tempore obstructo aliqua de causa cadentium guttarum meatu, statu in suo constituisse, sicque interim crustam aliquam e vaporibus, exhalationibusque accepisse; reserato subinde eodem meatu aquam rursus, at non tam puram, ut prius, stillasse, sicque rursus novum conum efformasse, aut verius priorem auxisse.

### REFLEXIO V.

Species tertia ea esse potest, quæ latera cavernarum constituit. Est ea pariter succi petrifici progenies, nisi quod candoris, splendicationisque sit exiguæ, tantumque, ut paritatem id exprimentem adferam, a priore differt, quantum panis ex hordeo coctus a pane cocto ex tritico; uterque nomen panis ex ve-



ro gerit, ast alter candore se commendat, quem in altero desideras. Ita plane se res habet cum hac tertia specie; unde concludas speciei hujus materiam pluribus terreis particulis inprægnatam, arenisque intermixtam esse, quod ipsum segmenta ex variis antorum lateribus defecta indicant; nam eorum aliqua non fusca solum, sed proprie nigricantia ob copiosam intermixtam terram præ manibus habeo. Splendicant tamen hæc quoque, & qua humor petrificus inpermixtus induruit, aut terreas particulas obtexit, specularia, ac consequenter lumen reflectentia planula aspicientibus objiciunt. Quarta demum species est, quæ neque candicans, neque, ut priores splendicans existit. Et hanc in ossibus illis lapidea crusta obductis, nec non in lapillis §. XVII. recensitis invenies. Curiosa est magis lapillorum illorum constitutio. Unum ex his, ut quid interne contineret, viderem, malleolo fidi, & reperi lapillum alium, Pyritis rubri erat species, crusta illa obductum. Mox alios, atque alios findendo diversos omnino, potissimum autem arenosos, qua albos, qua flavos, qua rubeos sub crusta latere deprehendi. Omnes tamen non fidi, nam integros plures, quam quinquaginta etiamnum ostendere possum. Hos ipsos inter lapillos officula etiam reperi externe undique lapillum mentientia, nisi quod post fissuram animadvertentim ex ipso minori pondere suspecta esse potuiss-



tuisse. Tam parvula hæc quam magna illa, qua humana qua pecorina ossa nihil, ne inchoatæ quidem Petrificationis in se continebant. In compluribus hisce lapillis lævis adeo est superficies, velut si per polituram inducta fuisset; alii contra arenosam quandam superficiem præferunt.

### REFLEXIO VI.

Supereſt adhuc, ut aëris temperiem, ac reliqua, quæ forte noſſe quis cuperet, exponamus. Aërem igitur, dum intrabam antra ſingula, attenta mente, ſenſibusque explorabam, & nullum omnino notabile diſcrimen adverti, niſi quod frigidior, non tamen ſupra modum externo fuerit. Et tametſi in compluribus locis planum, per quod incedebam, non tantum ſubhumidum, ſed & madens deprehenderim, nihil tamen ingrati, ac mucidi odoris expertus ſum. Inſectorum, quæ alias humida, tenebricoſaque amant loca, ne unicum quidem reperi. Veſpertilio unus ad ipſum antri ultimi oſtium videndum ſe præbuit. Herba nulla, nullus frutex, ac ne muſcus quidem ullibi a me, aut meis viſus. Silentium omni ex parte altiffimum, niſi quod interdum cadentes guttæ leniter interturbabant. Verbo: ſi Solis radiis patula ſingulis in antris eſſent ſpatia aliquot, opportuniſſimum relaxatio-



tioni animi hominibus res Physicas non aver-  
fantibus natura locum providisset.

## REFLEXIO VII.

At enim quoniam, ut sapienter olim dicebat Cicero: *Par est eos, qui in genere humano res utilissimas memoria tradere concupierint, cuncta tentare*, mihi pariter integrum non fuit curioso quidem oculo, at manu otiosa pulchra hæc naturæ opera spectare, percurrereque. Successivis igitur horis, nam alii pariter labores me sibi vendicabant, cogitare cæpi, eccui nam usui ingentes illæ moles tam eleganti, ac diuturno naturæ artificio positæ servire possent? & fateor, primam hanc meam fuisse cogitationem. Quid si lapis iste, a jebam intra me, albicans splendicansque bonæ alicui misceretur argillæ, an non Porcellana elegans inde conficeretur? at enim experimento huic instituendo non argillam Cassoviensem (qua & quidem huic usui serviente non caret Cassovia) utpote tanto terrarum intervallo a Funacza distitam, sed aliam aliquam partibus illis natam, opportunam judicabam, ne videlicet si Cassoviensis argilla, cum qua experimentum fecissem, congrueret, illarum tamen partium non congruens, rem totam infectam redderet. Hac igitur seposita cogitatione aliis viis utile quidpiam Excellentissimo Præsuli  
tan-



tanquam loci Domino, nostræque Patriæ gloriosum investigare statui.

### REFLEXIO VIII.

Segmenta igitur lapidis illius splendentis, non qui saccharo tam est similis, nam hujus millenis & millenis vicibus est minor copia, sed qui e stillis coaluit, quique columnas illas & numero permultas, & magnitudine ingentes constituit, quique secundam speciem sive classem facit; segmenta inquam lapidis hujus tenuissimum contrivi in pulverem, qui pulvis candoris erat tam eximii, ut cum primo etiam farre concertare potuerit. Mox pulveres illos frigida modo, modo calida humefeci, exploraturus num cohæsiō aliqua, seu consistentia sequeretur. Verum tentamina hæc successu caruerunt: humore siquidem evaporante mansit pulvis, ut ante, nullam habens cohæsiōnem. Mox rursus eosdem pulveres testaceo ad eos usus curato vasculo imposui, affusaque fontana primum dimidiæ, mox integræ horæ spatio coxi, expectans, an non bulliens tanto tempore aqua plexum aliquem partium induceret, consistentiamque aliquam efficeret; sed ne istud quoque e voto cessit. Denique eousque bulliente in aqua pulveres hos usi, usque dum humidum omne evaporaret. Ista

quo-



quoque via nihil obtinui; pulvis quidem attenuatus est magis, candidiorque effectus, sed cohæſionis alicujus ne signa quidem ostendebat.

### REFLEXIO IX.

Quid igitur facerem? attentarem affusis spiritibus massam hanc ligari impatientem coagulare? sed istud etiam si bene cessisset, non compendium, si majore in quantitate id faciendum esset, sed dispendium sumtum secum ferret. Mihi autem utilitatis eruendæ intentum præ oculis habenti non pretiosa, sed obvia adhibenda videbantur. Rem igitur alio modo pertento. Frustum lapidis fornaculæ vivis carbonibus plenæ injicio, visurus, quid ignis immediate applicitus sit producturus. Principio, quoad nimirum lapis candefactus est, crepitum edebat omnino sensibilem, qui crepitus tunc fiebat, dum particulæ a lapide vi ignis avellebantur, & dissiliebant. Animadverti aërem esse moleculis interclusum, ignis subinde calore rarefactum carceres illos, quibus detinebatur, diffringentem. Conquievit mox crepitus omnis, lapisque ad instar vivi carbonis totus ignescebat. Horæ unius spatium crematum excepi, calentemque poculo aqua pleno inposui. Initio effervescentiam ob igniculos adhuc in eo latentes observavi,

al.



albasque quasi nubeculas ab ipsius lapidis lateribus per aquam se extendentes; quod nihil erat aliud, quam satis jam calcinarum, ac omni cohæsione amissa solutarum minimarum particularum per aquam facta avulsio. Sperabam ego massam totam, ejusque rei gratia experimentum idem sæpius institui, solius aquæ beneficio calcis more solutum iri; sed non ita factum: majore longe sui parte lapis cohærebat, idque licet ustionis, seu calcinationis tempus etiam ad quatuor horas produxerim, sicque ustum lapidem diebus octo constanter aquæ immersum tenuerim.

#### REFLEXIO X.

Quamobrem observans aquam lapidi huic ex aqua genito adeo inimicam, aut verius amicam esse, ut ei nimirum nullum inferat detrimentum, ad artem Pictoribus propriam convertor. Contero sic ustum lapidem in pollinem tenuissimum supra tabulam marmoream, & si quid unquam candoris eximii sive Natura, sive Ars protulit, id totum in hocce contrito lapide vidisses; amyllum, vel si quid amylo candidius est, superavit, videreque erat in ipso pulvere splendicans aliquid. Sic contritum modica subigo fontana, deinde tepente aqua glutine inprægnata coloris ad instar tero, & ec-



ce! quod optabam, consistentiam accepit. Tingo asserculum, siccat, candicat; dum vero lupino dente splendorem, ac polituram inducere conor, crustulæ ab asserculo resiliunt. Animadverti, quid ad firmitatem desit; fundamento igitur, ut pictores dicunt, posito, ubi lapidem meum eidem illivi, ac polivi, eam præsetulit elegantiam, quam in Gypso, aut albo illo, quod Cremfense appellant, vulgo *Cremser Weiss*, requiras; quin omnium, qui viderunt, iudicio utrumque horum gradu aliquo antecellebat. Conjice Amice Lector, quanto id mihi post tot fatigia solatio fuerit.

#### REFLEXIO XI.

Statuis itaque, reliquisque ad Altaria, Pulpitaque sacra pertinentibus ornamentis albo colore tingendis opportunissimam, levique inpendio, sola nempe ustione (quo quid in Dominio illo facilius?) comparabilem lapides nostros materiam suppeditare jam ubi comperi, quid si parietibus etiam, dicebam, inalbandis, ac velut Gypso vestiendis lapis noster ferviret? hujus quoque rei cæpi experimentum, & didici confectum cum dulci, cocto tamen, lacte pulverem, aut verius nivem hujus pulverisati lapidis muro necdum calce illito & adhærere firmiter, & mirandam spectantium oculis albedinem objicere. Utriusque



que hujus commodi, gloriæ, ac æternæ Funacianæ memoriæ usum habere potest Excellentissimus Loci Dominus Præsul Magno-Varadinensis, tam nimirum in Basilica, cujus amplitudo ac decor totam late implebit Hungariam, quam in Aula sua Episcopali propediem ad finem perfectionemque deducenda.

## REFLEXIO XII.

Atque hæc sunt, quæ de Funacza dicenda, Patriæque communicanda habui; non alio profecto, si meum fuci expertem aspicias animum, consilio, quam ut hoc velut Classico eorum excitem industriam, qui perlustrando Res Patriæ Nostræ Naturales gloriam eidem, emolumentumque non vulgare adferre possunt. Faxit Deus optimus maximus, ut desideria mea sane justissima non impleantur solum, sed & superentur; videatque tandem Orbis Eruditus reliquis Scientiis, in quibus magna, multaque cum laude Populares Nostrī versantur, hanc quoque sociatam; quæ, ut dicam tandem, quod res est, principem facile locum, aut certe huic proximum obtinet. Hac bona, quin optima spe fretus, fore nimirum, ut singulæ Regni Nostrī Partes mirabilia sua avido orbi palam faciant, manum de tabula tollo, aliisque majora, melioraque in lucem daturis locum, & gloriam omnem lubens cedo. Denique, si  
meam



meam quis super studio hoc jucundissimo,  
utilissimoque simul, exquirat sententiam,  
eam ego paucis, sincere tamen, ac ut vetus  
fert adagium: sapienti pauca, edico: DI-  
TARI OPORTET, UT PHILOSOPHEMUR,  
NON PHILOSOPHARI, UT DITEMUR.

